

CAPUT VIII.

(a) CUM autem descendisset Jesus de monte, secuta sunt eum turbae multae; & ecce leprosus veniens adorabat eum, dicens: Domine, si vis, potes me mundare. Et extendens Jesus manum, tetigit eum, dicens: Volo: mundare. Et confestim mundata est lepra ejus. Et ait illi Jesus: Vide nemini dixeris: sed vade ostende te sacerdoti, & offer munus tuum, quod præcepit Moyses in testimonium illis.

(b) Cum autem introisset Capharnaum, accessit ad eum Centurio, rogans eum, & dicens: Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, & male torquetur. Et ait illi Jesus: Ego veniam, & curabo eum. Et respondens Centurio ait: Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum; sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus. Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites; & dico huic, Vade & vadit, & alii, Veni, & venit; & servo meo, Fac hoc, & facit.

(c) Audiens autem Jesus miratus est, & sequentibus se dixit: Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israël. Dico autem vobis, quod multi ab oriente, & occidentem venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Jacob in regno caelorum; filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores. Ibi erit fletus, & stridor dentium. Et dixit Jesus Centurioni: Vade, & sicut credidisti fiat tibi. Et sanatus est puer ex illa hora.

(d) Et cum venisset Jesus in domum Petri, vidit focum ejus jacentem, & febricitantem, & dimisit eam febris, & surrexit, & ministrabat eis.

(e) Vespere autem facto, obtulerunt ei multos daemones habentes, & ejiciebat fortiter verbo, & omnes male habentes curavit: ut adimpleretur quod dictum est per Esaiam, Prophetam dicentem: Ipse infirmitates nostras accepit, & aegrotationes nostras portavit.

(f) Videns autem Jesus turbas multas circum se, jussit discipulos ire trans fretum. Et accedens unus scriba ait illi: Magister, sequar te quocumque ieris. Et dicit illi Jesus: Vulpes foveas habent, & volucres caelorum nidus; Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet. Alius autem de discipulis ejus ait illi: Domine, permittite me primum ire, & sepelire patrem meum. Jesus autem ait illi: Sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos.

(g) Et ascendente eo in naviculam, secuti sunt eum discipuli ejus, & ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus. Ipse vero dormiebat. Et accesserunt ad eum discipuli ejus, & suscitaverunt eum, dicentes: Domine, salva nos, perimus. Et dicit eis Jesus: Quid timidi estis modicæ fidei? Tunc surgens imperavit ventis, & mari; & facta est tranquillitas magna. Porro homines mirati sunt, dicentes: Qualis est hic, quia venti, & mare obediunt ei?

(h) Et cum venisset Jesus trans fretum in regionem Gerasenorum, occurrerunt ei duo habentes daemones de monumentis exeuntes, sævi nimis, ita ut nemo posset transire per viam illam. Et ecce clamaverunt dicentes: Quid nobis, & tibi Jesu Filii Dei? Venisti huic ante tempus torquere nos. Erat autem non longe ab illis grex multorum porcorum pascentium. Demones autem rogabant eum, dicentes: Si ejicias nos hinc, mitte nos in pærem porcorum. Et ait illis, Ire. At illi exeuntes abierunt in porcos. Et ecce magno impetu abiit totus grex per præceps in mare, & mortui sunt in aquis. Pastores autem fugerunt, & venientes in civitatem nuntiaverunt hæc omnia, & de his qui daemones habuerant. Et ecce tota civitas exiit obviam Jesu, & viso eo rogabant eum ut transiret a finibus eorum.

(a) Hieronymus (in Com. cap. 8. Matth.) Post prædicationem, atque doctrinam, signorum offertur occasio, ut per virtutum miracula præteritis apud audientes sermo firmetur. Chrysostomus (hom. 21. in op. imperf.) Quia enim quasi potestatem habens docebat, ut non estimaretur (1) ostentatio esse hinc doctrine modus, operibus hoc idem facit, quasi potestatem habens curare: & ideo dicit: Cum autem descendisset Jesus de monte, secuta

(1) Al. ostensio.

& impotentiam ceterorum, (1) quando miseratus est imperfectioni eorum, (2) vel infirmitati, Deum, neque Si adoraveris; sed Si volueris, ti, secuta sunt eum turbae multae: quidam propter doctrinam, plerique propter doctrinam, sed ei totum concedit, & dominam eum facit, nonnulli propter curationem, & administrationem & potestatem univerforum ei attribuit. Chrysostomus super Matth. (hom. 21. in op. imperf.) Dominus sedet, caelum intelligitur, de quo scriptum est (Esaï. 66.), Caelum mihi sedes mercedem: nam sicut medici pecuniis, iste est, Sed cum Dominus in monte sedet, solus oratione placatur. Nihil enim dignius offerimus discipuli ad eum accedunt: quia antequam Deo quam orationem fidelem. In hoc autem fragilitatis nostrae humanitatem assumeret, non quod dicit, Si vis, non dubitat Christi voluntatem ad omne opus bonum paratam. Sed quia vero postquam de monte suae divinitatis descendit, & humanitatis nostrae fragilitatem assumpsit, magna turba nationum secuta est, non omnibus expedit corporalis integritas, nec sciebat utrum ei expediret curatio illa. Dicit ergo, Si vis: ac si diceret: Credo quia quod bonum est vis; ignoro autem si est mihi quod desidero, bonum. Chrysostomus in hom. 26. Cum autem voluntate, ac sermone purgare posse, ita & verbum Dei annuntient. Ascendunt enim in montem doctores, cum perfectioribus excellentia præcepta ostendunt, descendunt vero, cum infirmioribus leviora demonstrant. Chrysostomus super Matth. (hom. 21. in op. imp.) Inter ceteros autem qui montem non ascenderant & leprosus sursum ascendere non valebat, quasi peccatorum bajulans pondus; lepra enim est peccatum animarum nostrarum. Ideo ergo Dominus de altitudine caeli, quasi de excelso monte descendit, ut lepram peccatorum nostrorum mundaret: & ideo quasi jam præparatus descendenti occurrit: propter quod dicitur: Et ecce leprosus veniens. Origenes (hom. 5. ex diversis locis collect. parum à princip.) Deorum (4) curat, & in monte nihil facit: quia tempus est omni rei sub caelo, tempus doctrinae, & tempus curationis. In monte docuit, animas curavit, corda sanavit; quibus completis, sicut de caelestibus montibus ad salvandos carnales (5) descendente, venit ad eum leprosus, & adorabat eum: antequam peteret, adorare cepit, cultum ostendens. Chrysostomus super Matth. (hom. 21. in op. imperf.) Non enim illum petebat quasi hominem artificem, sed adorabat eum quasi Deum. Oratio autem perfecta est fides, & confessio: unde leprosus fidei opus, adorans implevit; sed opus confessionis implevit in verbis: unde adorabat eum dicens. Origenes (hom. 5. inter collectas ex var. locis.) Domine per te omnia facta sunt: tu ergo si vis, potest me mundare. Voluntas tua opus est, & opera tuae voluntati obediunt. Tunc prius Naaman Syrum per Eliseum a lepra mundasti, & modo, si vis, potest me mundare. Chry-

(1) Al. deest quando. (2) Al. vel infirmitati studens. (3) P. Nicolai habet caritatem. (4) Al. currit, & in monte nihil dicit. (5) P. Nicolai habet descendente. (6) Al. non manducare prohibebat. (7) Al. tamen.

taote eum curasset, quis scire poterat cuius virtute sanatus esset? Igitur voluntas mandandi facta est propter leprosum; verbum autem propter spectantes: ideo dixit: *Volo: mundare.* Hieronymus (super illud, *Extendens Jesus*: Non autem ut plerique Latinorum putant, junctim legendum est, *Volo mundare*; sed separatim, ut prius dicatur, *Volo*, deinde ut imperans dicat, *Mundare*. Ille enim dixerat, *Si vis*; Dominus respondit, *Volo*: ille pramiserat, *Potes mundare*; Dominus dixit, *Mundare*. Chrysostomus in hom. 26. Nusquam autem videtur dicere hoc verbum, quamvis magna signa faciens; sed hic propterea apposuit *Volo*, ut opinionem plebis, & leprosi de ejus potestate confirmaret. Chrysostomus in hom. 26. Celsit autem (1) mandanti natura cum decenti velocitate: & ideo sequitur: *Et confestim mundata est lepra ejus.* Sed hoc quod dicit, *Confestim*, multum est tardius velocitate quæ secundum opus est facta. Origenes (hom. 5, ut supra.) Quia enim non dubitavit credere, non tardatur sanatio; quia non distulit confessionem, non differtur mandatio. Augustinus de Con. Evang. (Lib. 2. cap. 19. par. a princ.) Hujus autem leprosi mandati (2) etiam Lucas meminit, non sane hoc ordine, sed ut solent prætermissa recordari, posterius facta præoccupari, sicut divinitus suggererentur, ut antea cognita, postea recordando rescriberent. Chrysostomus in hom. 26. Curans autem (3) Jesus corpus, jubet nulli dicere: unde sequitur: *Et ait illi Jesus: Vide, nemini dixeris.* Quidam igitur ajunt quoniam ideo jussit hoc, ut non malignentur circa ejus purgationem: quod insipienter dicitur: non enim ita mandavit ut dubitabilis esset mandatio; sed nulli dicere jubet, docens non diligere ostentationem, & honorem. Qualiter igitur alii sanato (Marc. 5.) jubet dicere? Sed in hoc erudit nos bonæ mentis esse: non enim illic divulgari se jussit, sed dari gloriam Deo. Per leprosum ergo hunc instruit nos non esse vane gloriosos; per illum autem noc esse ingratos, sed omnia ad laudem Dei referri. Hieronymus. Et revera quid erat necesse quod sermone jactaret quod corpore præferbat? Hilarius (can. 7. sub initio.) Vel ut sanus hæc (4) non offerretur potius quam quæretur, silentium imperatur.

Sequitur: *Sed vade, ostende te sacerdoti.* Hieronymus (super illud, *Vade ostende te*). Mittit autem eum ad sacerdotes, primum propter humilitatem, ut sacerdotibus deferre videatur; deinde ut videntes leprosum mundatum, si

crederent Salvatori, salvarentur; si vero non crederent, inexcusabiles fierent; & simul ne quod in eo sapissime criminabantur, legem infringere videretur. Chrysostomus in hom. (26. ante medium.) Neque enim ubique eam dissolvebat, neque ubique custodiebat; sed quandoque quidem hoc, quandoque illud faciebat: in uno quidem future sapientie præparans vitam, in altero autem inverecundam Judæorum cohibens linguam, & condescendens inbecillitati eorum. Unde Apostoli apparent quandoque quidem observantes legem, quandoque autem eam prætermittentes. Origenes (hom. 5. inter collect. ex variis locis) Vel mittit ad sacerdotes, ut cognoscant quia non per legis consuetudinem mundatus est, sed per gratia operationem. Hieronymus (ibidem.) Erat autem in lege præceptum ut qui mundati fuerant a lepra, offerrent munera sacerdotibus: unde sequitur: *Et offer munus tuum, quod præcepit Moyses, in testimonium illis.* Chrysostomus super Matth. (hom. 21. in opere imperi.) Non sic intellige, quia hoc Moyses præcepit in testimonium illis (5) sed *Vade tu, offer in testimonium illis.* Chrysostomus in hom. 26. (6) Prævidens enim Christus eos ex hoc nihil profecturos, non dixit, In emendationem eorum, sed *In testimonium*, id est in accusationem, & attestationem quoniam quæ à merant fienda, omnia facta sunt. Et licet eos prævidit non emendari, non tamen dimisit quæ facere oportebat: illi autem in propria manserunt malitia. Non autem dixit, Munus quod ego jubeo, sed *quod Moyses jussit*, ut interim transmittat ad legem, & iniquorum obstruat ora: ut enim non dicant, quoniam sacerdotum gloriam rapuit, opus quidem ipse implevit, probationem autem illis concessit. Origenes (loc. cit.) Vel (7) offer munus tuum, ut omnes qui vident te portare, miraculo credant. Chrysostomus super Matth. (hom. 21. in op. imperi.) Vel ideo jubet offerri munera, ut si postmodum eum expellere vellent, diceret eis: Munera quasi a mundato accepistis; & quomodo me quasi leprosum expellitis? Hilarius (can. 7. super Matth.) Vel legendum est: *Quod Moyses præcepit in testimonium illis*: quia quod Moyses in lege præcepit, (8) testimonium est, non effectus. Beda in hom. (Dom. 3. post Epiph.) Si quem autem moveat quomodo Dominus eum videatur Moysi sacrificium approbare, quare id Ecclesia non recipiat, meminerit quod nondum Christus corpus suum obulerat per passionem in holocaustum. Non autem oportet

(1) Al. mandanti. (2) Al. quem. (3) Al. ejus. (4) P. Nicolai habet non offertur potius quam quæritur. (5) Al. desunt verba sequentia. (6) Al. Prudens. (7) Al. Unde offer. (8) Al. in testimonium, est non effectus.

oportebat: aufertur significantia sacrificia prius quam illud quod significabatur, confirmatum esset testimonio Apostolorum prædicantium, & fide credentium populorum. Vir autem iste genus humanum designat, qui non solum leprosus, verum etiam, juxta Evangelium Lucæ, plenus lepra fuisse describitur. Omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei: Rom. 3. illa scilicet ut extenta manu Salvatoris, hoc est incarnato Dei Verbo, humanamque contingente naturam, ab erroris prisce vanitate munderentur, & (1) qui diutius abominabiles, & à castris populi Dei ejeti, jam aliquando tempore redditi, & sacerdoti, queant offerre corpora sua hostiam viventem, illi scilicet cui dicitur Psal. 109. Tu es Sacerdos in æternum. Remigius. Moralter autem per leprosum designatur peccator: nam peccatum immundum, & variam animam facit: qui ante Christum procidit, quando de pristinis peccatis confunditur; & tamen debet confiteri, & remedium penitentiae postulare: nam leprosus vulnus ostendit, & remedium postulavit. Extendit autem Dominus manum, quando auxilium divinæ misericordie impendit: & statim consequitur remissionem delictorum; nec debet Ecclesia eidem reconcitari, nisi iudicio sacerdotis.

(b) Chrysostomus super Matth. (hom. 22. in initio in opere imperi.) Postquam Dominus discipulos docuit in monte, leprosum autem sanavit sub monte, venit Capharnaum in mysterio, quia post Judæorum mundationem venit ad Gentes. Haymo. Capharnaum enim, quæ villa pinguedinis interpretatur, sive ager consolationis, Ecclesiam quæ ex Gentibus est collecta, significat, quæ spirituali pinguedine est repleta: secundum illud Psal. 62. Sicut adi-pe & pinguedine repletur anima mea. Et inter pressuras sæculi de cælestibus consolatur: secundum illud Psal. 93. Consolationes tuæ laticaverunt animam meam. Unde dicitur: *Cum autem introisset Capharnaum, accessit ad eum Centurio.* Augustinus de Ver. Dom. (serm. 6.) Iste Centurio de Gentibus erat: jam enim Judæa gens habebat militem Romani Imperii. Chrysostomus super Matth. (hom. 22. in op. imperi.) Centurio autem iste primus fructus ex Gentibus, ad cuius fidei comparisonem omnium Judæorum fides infidelitas est inventa, qui neque Christum auditiv docentem, neque leprosum, cum mundaretur, aspexit, sed audita tantummodo sanitate leprosi, plus credidit quam audivit: erat enim in mysterio Gentium futurarum, quæ neque legem, aut Prophetas

legerant de Christo, neque ipsum Christum mirabilia facientem viderant. Accessit ergo togans, & dicens: *Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, & male torquetur.* Vide autem bonitatem Centurionis, qui pro salute servi sic sollicitè festinabat, quasi non damnus pecuniæ, sed salutis passurus in morte illius. Nullam enim differentiam æstimabat inter servum & dominum: quia et si dignitas in hoc sæculo diversa est inter illos, una tamen est illis natura. Fidem autem Centurionis vide, quia non dixit, *Veni & salva eum*: quia ille constitutus in omni loco erat presens: sapientiam autem, quia non dixit, *Hic constitutus salva eum*: sciebat enim quia potens est ad faciendum, sapiens ad intelligendum, misericors ad exaudiendum: ideo infirmitatem tantum exposuit, remedium autem sanitatis in potestate misericordie ejus dimisit, dicens, *Et male torquetur in quo apparet quia diligebat eum*: nam nunquamque quem diligit, est modice fuerit tæditus, gravius eum putat habere quam habet. Rabbanus. Omnia ista cum dolore cognominavit, & jacentem, & paralyticum, & male dententem, ideo ut animæ suæ angustias demonstraret, & Dominum commoveret: sic debent omnes condolere servis, & eorum curam habere. Chrysostomus in hom. 27. circa initium.) Quidam autem dicunt, quoniam excusans se, (2) hanc causam dixit propter quam non ipsum adduxit. Neque enim possibile erat (3) dissolutum, cum torqueretur, & ad ultimas esset expirationes, portari. Ego autem signum hoc esse magnæ fidei dico: quia enim sciebat quod sola injunctio sufficeret ad restaurationem jacentis, superfluum æstimabat eum ducere. Hilarius (can. 7. inter princ. & med.) Jacentes autem in sæculo, & peccatorum morbis dissolutæ, spiritualiter Gentes æstimandæ sunt, omnibus undique membris fluidis, & ad consistendi officium, gradiendique corruptis; quarum salutis sacramentum in puero Centurionis expletur, quem satis dictum sit principem esse Gentium credituram. Quis autem sit hic princeps, canticum Moysi in Deuteronomio 32. docet, ubi scilicet dicitur: *Constituit terminos, nos Gentium juxta numerum Angelorum.* Remigius. Vel per Centurionem designantur qui primi ex Gentibus crediderunt, & perfecti in (4) virtute fuerunt: Centurio enim dicitur quicentum militibus præfuit; centenarius autem numerus perfectus est. Recte ergo Centurio pro puero suo rogat, quia primitiæ Gentium pro salute totius Gentilitatis Deum (5) rogantem

(1) Al. quia. (2) Al. in hanc causam. (3) Al. dissolutum eum, eum portaretur. (4) Al. virtutibus. (5) Al. supplicaverunt.

verunt. Hieronymus (super illud, *Accessit ad eum Centurio*.) Videns autem Dominus Centurionis fidem, humilitatem, & providentiam, statim se iturum, & sanaturum esse promittit: unde sequitur: *Et ait illi Jesus: Ego veniam, & curabo eum. Chrysofomus* in hom. (27. par. à princ.) Quod nunquam fecit, hic facit Jesus: ubique enim sequitur voluntatem supplicantiū, hic autem præstitit, & non solum curare promittit, sed ire ad domum. Facit hoc, ut discamus Centurionis virtutes. *Chrysofomus* super Matth. (hom. 22. in op. imperf.) Nisi enim ille dixisset, *Veniam, & curabo eum*, nunquam (1) iste responderet, *Non sum dignus*. Deinde quoniam pro servo petebat, ideo ire promissit, ut nos doceat non colere magnos, & contempnere modicos; sed pauperes, & divites similiter honorare. *Hieronymus* (ubi supra.) Sicut autem in Centurie commendamus fidem, eo quod (2) creditur paralyticum à Salvatore posse sanari; ita patet humilitas in hoc quod se iudicavit indignum cujus tectum Dominus intraret: unde sequitur: *Et respondens Centurio, ait illi: Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum. Rabbanus* (a) (super illud, *Domine non sum dignus*.) Propter conscientiam enim vitæ gentilis, gravari se magis dignatione putavit, quam juvari, cujus est fide præditus, nondum erat tamen in sacramentis (3) inunctus. *Augustinus* de Ver. Dom. (serm. 6.) Dicendo autem se indignum, præstitit dignum non in cuius parietes, sed in cuius cor Verbum Dei Christus intraret. Neque hoc diceret cum tanta fide, & humilitate, nisi illum quem timebat intrare domum suam, corde gestaret: nam non erat magna felicitas, si Jesus intraret in parietes ejus, & non esset in pectore ejus. *Severianus* (b) (in hom. loci hujus.) Mystice autem hoc tectum corpus est quod tegit animam, quod libertatem mentis caelesti visione in se concludit. Sed Deus neque habitare carnem, neque tectum nostri corporis dedignatur intrare. *Origenes* (hom. 5. inter collectas ex diversis locis.) Nunc etiam quando sancti, & à Deo acceptabiles Ecclesiarum antistites sub tectum tuum intrant, tunc ibidem per eos Dominus ingreditur; & tu sic æstimes quasi Dominum suscipiens. Et quando corpus, & sanguinem Domini manducas, & bibis, tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur; & tu ergo humilians te ipsum dicas, *Domine, non sum dignus*. Ubi enim indigne ingre-

(1) *Al. imbutur* iste. (2) *Al. credit*. (3) *Al. imbutus*. (4) *Al. quod est*. (5) *P. Nicolai* habet & in præceptis. (6) *Al.* Si ego homo sub

EX EDIT. P. NICOL. (a) Sumpsit ex Beda super Luc. 7. cap. sed & Beda priorem partem ex Ambrosio sumpsit super eundem locum. (b) Sive potius Chrysofologus serm. 106. qui de Centurione inscribitur.

ditur, ibi ad iudicium ingreditur accipientio. *Hieronymus* (super illud, *Accessit ad eum Centurio*.) Prudentia autem Centurionis apparet in hoc quod ultra corporis tegumen latenter vidit divinitatem: unde subiungit: *Sed tantum dico verbo, & sanabitur puer meus. Chrysofomus* super Matth. (hom. 22. in op. imperf.) Sciebat enim quoniam astabant illi invisibiliter Angeli ministrantes, qui omne verbum ejus vertunt in opus, (4) & quod si Angeli cessant, tamen infirmitates præceptis ejus vivacibus expelluntur. *Hilarius* (can. 7. ante med.) Dicit etiam Centurio; puerum verbo posse sanari, quia salus Gentium omnis ex fide est, (5) & præceptis Domini vita est universorum; & ideo subiungit dicens: *Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens, sub me milites, & dico huic, Vade, & vadit; & illi, Veni, & venit, & servo meo, Fac hoc, & facit. Chrysofomus* super Matth. (hom. 22. in opere imperf.) Patris, & Filii mysterium Spiritu Sancto suggerente depinxit; ac si diceret: Et si ego sum sub potestate alterius, tamen habeo potestatem jubendi eis qui sub me sunt; sic & tu, quamvis sis sub potestate Patris, scilicet in quantum homo, habes tamen potestatem jubendi Angelis. Sed forte dicit Sabellius, volens offendere eundem esse Patrem quæ & Filius est, sic hoc esse intelligendum. Si ego sub potestate constitutus possum jubere; quanto magis tu, qui sub nullis es potestate? Sed hanc expositionem non recipit textus. Non enim dixit, Si ego homo sub potestate; sed dixit: *Nam & ego homo sum sub potestate*; in quo patet quod inter se & Christum non comparationis differentiam fecit; sed rationem similitudinis introduxit. *Augustinus* de Ver. Dom. (serm. 6.) Si ego, (6) qui sum sub potestate, jubendi habeo potestatem; quid tu potes, cui omnium servant potestates? *Glossa* (ord. super illud, *Ego homo sum*.) Potes per Angelorum ministeria sine corporis præsentia dicere infirmitati ut recedat, & recedat; & sanitati ut veniat, & veniat. *Haymo*. Possunt autem per subjectos Centurionis, virtutes naturales intelligi, in quibus plurimi Gentilium pollebant; vel etiam cogitationes bonæ, aut malæ. Malis autem dicamus, ut recedant, & recedent; sed bonas vocemus, & venient; servo quoque nostro, hoc est corpori, ut subiciatur voluntati divinæ. *Augustinus* de Con. Evang. (Lib. 2. cap. 20.)

Huic potestate. (1) *Al. imbutur* iste. (2) *Al. credit*. (3) *Al. imbutus*. (4) *Al. quod est*. (5) *P. Nicolai* habet & in præceptis. (6) *Al.* Si ego homo sub

EX EDIT. P. NICOL. (a) Sumpsit ex Beda super Luc. 7. cap. sed & Beda priorem partem ex Ambrosio sumpsit super eundem locum. (b) Sive potius Chrysofologus serm. 106. qui de Centurione inscribitur.

Huic autem quod hic dicitur, videtur repugnare quod ait Lucas (cap. 8.) Cum audisset, Centurio de Jesu, misit ad eum seniores Judæorum, rogans eum ut veniret, & salvaret servum ejus: & iterum, quod cum (1) non longe esset à domo, misit ad eum Centurio amicos, dicens: Domine, noli vexari, non enim sum dignus ut sub tectum meum intres. *Chrysofomus* in hom. (27. in Matth. parum ante med.) Quidam autem dicunt, quoniam (2) non est idem ille, & hic; quod multas conjecturas habet. De illo enim ait (Luc. 7.) quoniam, synagogam nostram construxit, & gentem diligit; de isto autem ipse Jesus ait: *Neque in Israel tantam fidem inveni*: unde videtur Judæum illum esse. Mihi autem videtur idem hic & ille esse. Sed quando Lucas dicit, quod misit ut veniat, blanditias Judæorum insinuavit. Conveniens enim est credere Centurionem volentem abire, prohibitum esse à Judæis blandientibus, & dicentibus, quoniam nos abimus, & (3) conducimus eum. Sed quando ab eorum imminencia erutus est, tunc misit, dicens: Ne æstimes quod propter desiderium non veni, sed quia me indignum æstimavi ut te in domum meam susciperem. Quod autem Matthæus ait non per amicos, sed per seipsum hoc eum dixisse, nihil contrarium est: uterque enim desiderium viri representavit, & quoniam de Christo decentem opinionem habebat. Conveniens autem est opinari & ipsum, postquam misit amicos, ad venientem per se hæc dicere. Si autem non hoc dixit Lucas, neque illud Matthæus, non sibi contradicunt, sed complement quæ ab invicem derelinquebantur. *Augustinus* de Con. Evang. (Lib. 2. cap. 20.) Matthæus ergo accessum Centurionis ad Dominum per alios factum compendio dicere voluit, quia fidem ejus qua vere ad Deum acceditur, laudavit, ut diceret: *Non invocavi tantam fidem in Israel*. Lucas autem ideo totum (4) ut gestum est aperuit, ut ex hoc intelligere cogermur qualiter eum accepisse dixerit Matthæus, qui mentiri non potuit. *Chrysofomus* in hom. (27. in Matth.) Neque enim est contrarium, quod fabricavit synagogam secundum Lucam, & quod hic ostendit non esse Israelita: possibile enim non est Judæum non existentem. *Volo*: mundare: ita & hic Centurionem de Christi potestate restantem non solum non accusavit, sed etiam commendavit. Seq. & am-

(c) *Chrysofomus* in hom. 27. Sicut quod leprosus dixerat de Christi potestate, *Si vis, potes me mundare*, Christi voce confirmatur, dicentis: *Volo*: mundare: ita & hic Centurionem de Christi potestate restantem non solum non accusavit, sed etiam commendavit. Seq. & am-

plius aliquid fecit: intensionem enim laudis Evangelista significans, dicit: *Audiens autem, Jesus miratus est. Origenes* (hom. 5. ex diversis locis.) Attende quantum sit, ut quale quod Deus unigenitus miratur. Aturum, divitiarum, regna, principatus in conspectu ejus sunt tamquam umbra, vel flos decidens: nihil ergo horum in conspectu Dei mirabile est; quasi magnum, vel pretiosum, sed tantum fides: hanc miratur honorificans, hanc acceptabilem sibi æstimat. *Augustinus* super Genesim contra Manichæos (Lib. 1. cap. 8.) Quis autem in illo fecerat illam fidem, nisi ipse qui admirabatur? Quod si & alius eam fecisset, ut quid miraretur qui præcius erat? Quod ergo miratur Dominus, nobis mirandum esse significat, quibus adhuc opus est sic moveri: omnes enim tales motus ejus non perturbati animi signa sunt, sed docentis magistristerium. *Chrysofomus* in hom. 27. Unde plebe omni præsentem admiratus esse dicitur, & aliis exemplum dedit, ut eum mirarentur: sequitur enim: *Et sequentibus se dixit Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel*. *Augustinus* contra Faustum (Lib. 2. cap. 74.) Fidem laudat illius; non autem desertionem militiæ imperavit. *Hieronymus*. Hoc autem de præsentibus loquitur, non de omnibus retro Patriarchis; & Prophetis. *Chrysofomus* super Matth. (hom. 22. in op. imperf. prope finem.) Credit enim Andreas, sed Joanne dicente (Joan. 1.) „Ecce Agnus Dei: „ credit Petrus, sed evangelizante sibi Andrea: credit Philippus, sed legendo Scripturas: & Nathanael prius signum divinitatis accepit, & sic fidei confessionem obtulit. *Origenes* (hom. 5. in collectis ex diversis locis.) Jairus Israelis princeps pro filia sua petens, non dixit, *Dic verbo*, sed „Veni velociter“ (Marc. 5.) Nicodemus de fidei sacramento audiens ait (Joan. 3.) „Quo modo potest hoc fieri?“ Maria, & Martha dicunt (ibid. 6.) „Domine si fuisses hic, fratres mei non fuisset mortuus:“ quasi dubitantes, quod ubique posset adesse Dei potentia. *Chrysofomus* super Matth. (hom. 22. in opere imperf.) Aut si volumus fideliorum putare istum quam Apostolos, ita testimonium Christi intelligendum est, quod unumquodque bonum hominis secundum quantitatem personæ illius laudatur; rusticum enim dicere aliquid sapienter, magnum est; quod de Philosopho non est mirum: sic de Centurione dictum est: *In nullo tantam fidem inveni in Israel*. *Chrysofomus* in hom. (27. parum ante med.) Non enim erit æquale Judæum credere, & Gentilem. *Hieronymus*. Vel forte in Centurie fides

(1) *Al. desit* non. (2) *Al.* quod non est idem illic, quod &c. (3) *Al.* educimus. (4) *Al.* quod.

Gentium præponitur Israël: unde subdit: *Dico autem vobis, quod multi ab oriente, & occidente venient.* Augustinus de Ver. Dom. Non omnes ait; sed *Multi*, tamen ipsi *ab oriente, & occidente*: istis duabus partibus totus orbis designatur. *Haymo* (serm. 61.) Vel ab oriente veniunt qui statim illuminati transeunt, ab occidente hi qui persecutionem usque ad mortem tolerantur pro fide: vel ab oriente quis venit, cum ab infantia Deo servire incipit, ab occidente dum in ipsa decrepita ætate ad Deum convertitur. *Origenes* (hom. 5. ut supra.) Sed quomodo alibi dicit, quod pauci sunt electi? Per diversas enim generationes pauci electi sunt, simul vero congregati in tempore visitationis multi inveniuntur. Sequitur: *Et recumbent*, non carnaliter jacentes, sed spiritaliter requiescentes; non temporaliter potantes, sed æternaliter epulantes, cum *Abraham, Isaac, & Jacob* in regno cælorum, ubi lux, exultatio, gloria, & longævitas vitæ æternæ. *Hieronymus* (super illud, *Dico autem vobis*.) Quia autem Deus Abraham cæli conditor, Pater Christi est, idcirco in regno cælorum est & Abraham cum quo accubituræ sunt nationes quæ crediderunt in Christum Filium Creatoris; *Augustinus* de Ver. Dom. (serm. 6.) Sicut autem videmus Christianos vocatos ad cælestis convivium, ubi est panis justitiæ, potus sapientiæ; ita videmus & Judæos reprobos: unde sequitur: *Filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores*, Judæi scilicet, qui legem acceperunt, qui celebrant figuras omnium futurorum, qui tamen presentia non agnoverunt. *Hieronymus*. Vel filios regni dicit Judæos, quia in eis Deus ante regnavit. *Chrysostomus* in hom. (27. à med.) Vel filios regni eos dicit quibus regnum erat præparatum; quod & magis eos mordebat. *Augustinus* contra Faustum (Lib. 16. cap. 24.) Si ergo non commendavit Moyses populo Israel Deum, nisi Deum Abraham, Isaac, & Jacob, eumque ipsum Christum commendat; non est conatus illum populum avertere à Deo suo; sed ideo minatus est eos ituros in tenebras exteriores, quod avertes videret eos à Deo suo, in cuius regno Gentis vocatas ex toto orbe terrarum recubituræ dicit cum Abraham, Isaac, & Jacob, non ob aliud quam quod fidem tenuissent Dei Abraham, Isaac, & Jacob: (1) quibus non quasi in morte correctis, vel post passionem suam justificatis testimonium Dominus perhibeat. *Hieronymus* (super illud, *Filii regni ejicientur*.) Tenebræ autem exteriores dicuntur, quoniam qui à Domino expellitur foras, re-

(1) *Al. desunt omnia quæ sequuntur usque ad alium indicem.* (2) *Al. quia dicitur erat. P. Nicolai habet* quia dicitur erat credere, facit signa. (3) *Al. metierat.*

linquit lumen. *Haymo*. Quid autem ibi passari sint, manifestat cum subdit: *Ibi erit fletus, & stridor dentium*. Per metaphoram enim membrorum pœnas describit tormentorum; solent enim oculi fumo tacti lacrymas producere, dentes vero à nimio frigore stridere. Ostenditur ergo quod reprobi in inferno & calorem intolerabilem, & frigus sustineant; secundum illud Job 24. „ Transient ab aquis nivium ad calorem nivium. “ *Hieronymus* (super illud, *Ibi erit fletus*.) Si autem fletus oculorum est, & stridor dentium ossa demonstrat, vera est corporum, & eorumdem membrorum quæ ceciderant resurrectio. *Rabbanus*. Vel stridor dentium prodit indignantis affectum, eo quod sero unumquemque pœniteat, sero sibi irascatur, quod tam pertinaci improbitate deliquit. *Remigius*. Vel aliter. Tenebras exteriores appellat exterarum nationes: quantum enim ad historiam attinet, prædicat Dominus his verbis interitum Judæorum, quoniam propter infidelitatem ducendi erant captivi, & dispergendi per diversa regna terrarum: fletus enim ab igne solet fieri, stridor dentium à frigore. Illis ergo adscribitur fletus qui in calidioribus locis habitant, sicut in India, & Æthiopia; stridor vero dentium illis adscribitur qui in frigidioribus locis commorantur, sicut est Hircania, & Scythia. *Chrysostomus* (hom. 27. super Matthæum.) Ne quis autem existimet, blanditiarum esse hæc verba (2) quæ dicta erant, credere facit signo; unde sequitur: *Et dixit Jesus Centurioni. Vade, & sicut credidisti fiat tibi.* *Rabbanus*. Quasi dicat. Secundum mensuram fidei (3) fiat tibi & ista gratia. Potest autem meritum Domini etiam famulis suffragari, non solum merito fidei, sed etiam studio disciplinæ: unde sequitur: *Et sanatus est puer ex illa hora.* *Chrysostomus* in hom. 27. à med.) Ubi velocitatem admirare: neque enim solum curare, sed inopinate; & in momento temporis hoc facere, virtutem Christi ostendebat. *Augustinus* de Ver. Dom. (serm. 6. super illud, *Et ego homo*.) Sicut enim Dominus domum Centurionis corpore non intravit, sed absens corpore, præsens majestatem puerum sanavit; sic & in solo Judaico populo corpore fuit, apud alias autem gentes, nec de virgine natus est, nec passus est, nec humana pertulit, nec divina mirabilia fecit; & tamen impletum est quod dictum erat (Psal. 17.) „ Populus quem non cognovi, servivit mihi, „ in auditu auris obedivit mihi. “ Judæa enim gens cognovit, & crucifixit; orbis terrarum audivit, & credidit.

(4) *Rabbanus.*

(d) *Rabbanus*. Postquam ostendit Matthæus per leprosum totum genus humanum sanatum, & in sermo Centurionis gentilis populi sanationem, consequenter per socrum Petri designationem synagogæ, cum dicit: *Et cum venisset Jesus in domum Petri*. Prius autem narrat de sermo, quia majus miraculum fuit, & major gratia in Gentili converso; vel quia in fine facili synagoga est plenarie convertenda, cum plenitudo Gentium subintraverit. Domus autem Petri in Bethsaida erat. *Chrysostomus* in hom. (28. circa initium.) Sed cur intravit in domum Petri? Mihi videtur cibum assumpturas: unde sequitur: *Et surrexit, & ministrabat eis*. Apud discipulos enim divertebat honorans eos, & avidiores ex hoc faciens. Attende autem Petri ad Christum reverentiam: habens enim socrum domi fabricantem, non traxit eum in domum, sed expectavit doctrinam compleri, & alios curari. Ab exordio enim eruditatur quæ aliorum erant sibi ipsi præponere. Quocirca neque ipse eum inducit, sed Christus sponte adivit, postquam dixit Centurio: *Non sum dignus ut intres sub tectum meum*: monstrans quantum largiebatur discipulo. Non est autem dedignatus sub villa tuguria piscatorum intrare, erudiens per omnia humanum conculcare tumorem. Et quandoque solum verbis curat, quandoque autem etiam manum extendit: unde & hic dicitur: *Et tetigit manus ejus, & dimisit eam febris*. Non enim volebat semper cum superabundantia miracula facere: oportebat enim interim latere. (1) Tangens autem corpus, non febrem extinxit solum, sed & curam tribuit sanitatem. Quia enim ægritudo curabilis erat, modo curationis suam virtutem ostendebat, faciendo quod ars medicinalis non operatur, ut scilicet simul perfectam restituit sanitatem: unde Evangelista hoc innuens dicit, quod *surrexit, & ministrabat eis*. *Hieronymus* (super illud, *Et cum venisset Jesus tetigit*.) Natura enim hominum istiusmodi est ut post febrem magis lassescant corpora, & incipiente sanitate, ægritationis mala sentiant. Verum sanitas quæ confertur à Domino, tota simul reddit: (2) nec sufficit esse sanatum, sed ut epitalis fortitudinis indicetur, additum est: *Surrexit, & ministrabat eis*. *Chrysostomus* in hom. 28. In hoc ergo quod dicitur, quod *surrexit, & ministrabat eis*, & Christi virtutis signum est, (3) & affectus quem mulier erga Christum ostendebat. *Beza* in hom. (Matth. 8. super illud, *Et cum venisset in domum Petri*.) Mystice au-

S. Thom. Oper. Tom. VIII.

(1) *Al. Tangens autem non febrem,* (2) *Al. desunt verba sequentia usque ad finem sententiæ.* (3) *Al. & dispositionis mulieris, quam erga Christum &c.* (4) *Al. corpore.* (5) *Al. recordationem.*

tem domus Petri, lex, vel circumcisio est; focus est synagoga, quæ quodammodo est mater Ecclesiæ Petro commissa. Hæc fabricata, quia invidiæ æstibus laborabat, persequens Ecclesiæ; cujus manum Dominus tangit, quando carnalia ejus opera in spirituales usum convertit. *Remigius*. Vel per socrum Petri potest intelligi lex, quæ, secundum Apostolum, infirmabatur per carnem, idest carnalem intelligentiam. Sed cum Dominus per mysterium incarnationis visibilis in synagoga apparuit, & opere legem implevit, & spiritaliter intelligentiam docuit; mox ipsa sociata gratiæ Evangelii, tantum robur accepit, ut quæ fuerat ministra mortis, & pœnæ, postmodum fieret vitæ, & gloriæ. *Rabbanus* (super illud, *Surrexit, & ministrabat*.) Vel unaquæque anima, quæ carnis concupiscentiis militat, quasi febribus æstuat: sed manu misericordiæ divinæ tacta convalescit, & per continentiæ frena carnis lasciviam constringit, & membris quibus servierat immunditiæ, servit justitiæ. *Hilarius* (can. 7. in Matth. par. ante med.) Vel in focu Petri vitiosa infidelitatis æstimatur affectio, cui adjacet libertas voluntatis, quæ nos sibi quadam conjugii societate conjungit. Ergo ingressu Domini in Petri domum, idest in (4) corpus, curatur infidelitatis peccatorum calore æstuans, & salvata officii famularum ministrat. *Augustinus* de Con. Evang. (Lib. 2. cap. 21.) Hoc autem quando factum sit, idest post quid, vel ante quid, non expressit Matthæus: non enim post quod narratur, post hoc etiam factum necesse est intelligatur; nimirum tamen iste hic recoluisse intelligitur quod prius omiserat. Nam id Marcus hic (cap. 2.) narrat antequam illud de mandato leproso commemoraret, quod post sermonem in monte habitum, de quo ipse tacuit, videtur interposuisse. Itaque & Lucas (cap. 4.) hoc post factum narrat de focu Petri, post quod & Marcus: ante sermonem etiam quem prolixum interposuit, qui potest idem videri quem dicit habitum in monte Matthæus. Quid autem interest quis quo loco ponat, sive quod ex ordine inserit, sive quod omisum recedit, sive quod postea factum ante præoccupat; dum tamen non adverteretur eadem alia narranti, nec sibi, nec alteri? Quia enim nullius in potestate est res opportune cognitas quo quisquam ordine recordetur, satis probabile est quod unusquisque Evangelistarum eo se ordine credidit debuisse narrare, quo voluisset Deus ea quæ narrabat, ejus (5) recordationis suggestione.

rere. Quapropter ubi ordo temporum non apparet, nihil nostra interesse debet quem narrandi ordinem quilibet eorum tenuit.

(e) *Chrysofomus* in hom. (28. in Matth.) Quia multitudo credentium erat jam aucta, neque tempore impellente à Christo abscedere pariebantur; vesperæ ei infirmos adducunt: unde dicitur: *Vespere autem factio obtulerunt ei multos demonia habentes.* *Augustinus* de Con. Evang. (Lib. 2. cap. 22.) Per hoc autem quod dicit, *Vespere autem factio*, ad ejusdem diei tempus hoc pertinere satis indicatur; quamvis necesse non sit, ubi dicitur, *Vespere factio*, ejusdem diei vespere accipere. *Remigius.* Christus autem Dei Filius auctor humanæ salutis, fons, & origo totius pietatis, cælestem medicinam tribuebat: unde sequitur: *Et scribebat spiritus verbo, & omnes male habentes curavit.* Dæmones enim, & morbos solo verbo repellebat, ut his signis, & virtutibus ostenderet se ad salutem (1) generis humani venisse. *Chrysofomus* in hom. (28. ante med.) Intende autem quantum multitudinem curatum transeunt Evangelistæ, non unumquemque curatum enarrantes, sed uno verbo pelagus ineffabile miraculorum inducentes. Ne autem magnitudo miraculi incredulitate immittat, si tantam plebem, & varias ægritudines uno temporis momento curavit, inducit Prophetam atresantem his quæ fiebant: unde (2) sequitur, *Ut adimpleretur quod dictum est per Esaiam. Prophetam dicentem: Ipse infirmitates nostras accepit.* *Rabbanus* (super illud, *Ut adimpleretur.*) Non tibi haberet, (3) sed ut nobis auferret; & ægritudines nostras portavit, ut quod pro imbecillitate virium ferre non poteramus, ille pro nobis portaret. *Remigius.* Quia humanæ naturæ infirmitatem ad hoc suscepit ut nos infirmos faceret fortes, atque robustos. *Hilarius.* (can. 7. à med.) Et passione corporis sui, secundum Prophetarum dicta, infirmitates humanæ imbecillitatis absorbit. *Chrysofomus* in hom. (28. ante med.) Hoc autem de peccatis magis à Propheta dictum esse videtur. Qualiter igitur Evangelista de ægritudinibus hoc exponit? Sed sciendum, quod vel historice hic testimonium adaptavit, vel ostendit quoniam plures ægritudinum ex peccatis sunt (4) animarum: nam & ipsa mors à peccatis habet radicem. *Hieronymus* (super illud, *Vespere autem factio.*) Attendendum autem, quod omnes non mane, non meridie, sed ad vespere curantur, quando sol occubiturus est, & quando granum tritici in terra moritur, ut mul-

(1) *Al.* totius generis humani. (2) *Al.* subditur. (3) *Al.* licet ut. (4) *Al.* animalibus, & ipsa &. (5) *In duobus Venetis exemplis an. 1521. & 1584. in Antwerpensi an. 1569. & in Herbipolensi P. Nicolai an. 1704. omittitur sententia parenthesi inclusa.*

tos afferat fructus. *Rabbanus* (super isdem verbis. Solis enim occubitus passione, & mortem designat illius qui dixit (Joan. 9.) „Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi:“ qui temporaliter vivens in carne, paucos Judæorum docuit; calcato autem regno mortis, omnibus per orbem Gentilibus fidei dona promisit.

(f) *Chrysofomus* in hom. (28. ante med.) Quia Christus non solum corpora curabat, sed animam emendabat, & veram sapientiam monstrare voluit, non solum ægritudines solvendo, sed etiam nihil ad ostentationem faciendo; & ideo dicitur: *Videns autem Jesus turbas multas circum se, jussit discipulos ire trans fretum.* Faciebat autem hoc, & simul moderata nos capere docens, & invidiam Judaicam mitigans, & docens nos nihil ad ostentationem facere. *Remigius.* Vel hoc fecit quasi homo volens turbam importunitatem declinare. Erant autem ei affixi admirantes eum, & videre ipsum volentes. Quis enim discederet à talia miracula operante? Quis non in faciem ejus simplicem vellet videre, & os talia loquens? Si enim Moyses glorificatam faciem habebat, & Stephanus sicut Angeli; intellige communem dominatorem qualem decens est tunc apparuit: unde Propheta dicit (Psal. 44.) „Speciosus, forma præ filiis hominum.“ *Hilarius* (can. 7. in Matth. à med. illius.) Discipulorum autem nomen non duodecim tantum Apostolis convenire æstimandum est: nam præter Apostolos plures fuisse discipulos legimus. *Augustinus* de Con. Evang. (Lib. 2. cap. 22.) Manifestum est autem alium esse diem quo jussit ire trans fretum, non eum qui sequitur illum in quo focus Petri sanata est, quo die Marcus, Lucasque eum in desertum exisse affirmant. *Chrysofomus* in hom. (28. in Matth. ante medium.) Vide autem qualiter turbas non simpliciter abjicit, ut non offendat. Non enim dixit, Recedite: sed ultro discipulos jussit abire, spem dans turbæ eundi etiam illuc. *Remigius.* Sed quid interjusionem Dei & transfrætationem gestum sit, Evangelista studuit manifestare, cum ait: *Et accedens unus scriba ait illi: Magister, sequar te quocumque jers.* *Hieronymus* (super illud, *Accedens unus scriba.*) Ille scriba, qui tantum litteram noverat occidentem, si dixisset, Domine, sequar te quocumque jers; non fuisset repulsus à Domino: sed quia magistrum unum de pluribus æstimat, & litterator erat (quod (5) significantius Græce dicitur *grammatikus*) & non spiritalis auditor, ideo non habet locum in quo pos-

posuit Jesus reclinare caput suum. Ostenditur autem nobis, & ob hoc scribam repudiatum, quod signorum videns magnitudinem sequi voluerit Salvatorem, ut lucra ex operum miraculis quæreret; hoc idem desiderans, quod & Simon Magus à Petro emere voluerat. *Chrysofomus* in hom. (28. in Matth. parum ante med.) Vide etiam quantum est tumor: ita enim advenit, & locutus est sicut dedignans cum turba annumerari; sed ostendens quoniam super multos est ipse. *Hilarius* (can. 7. in Matth.) Vel aliter. Ille scriba, qui est unus ex doctoribus legis, an sit secuturus interrogat, quasi lege non contineretur (1) hunc esse quem utiliter sequatur. Igitur infidelitatis affectum sub diffidentia interrogationis expressit; quia fidei assumptione non interroganda est, sed sequenda. *Chrysofomus* in hom. (28. in Matth. circa med.) Respondet autem ei Christus, non ad interrogationem verborum, sed ad consilium obvians mentis: unde sequitur: *Et dicit ei Jesus: Vulpes foveas habent, & volucres cali nidos; Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet;* ac si dicat: *Hieronymus* (ubi supra) Quid me propter divitias, & sæculi lucra cupis sequi, cum tantæ sim paupertatis, ut nec hospiciolum quidem habeam, & recto itar non meo? *Chrysofomus* in hom. (28. in Matth.) Hoc autem non erat avertentis, sed arguentis quidem malum consilium, concedens autem si vellet cum paupertatis expectatione sequi Christum. Et ut dicas ejus malitiam, audiens hoc, & correctus non dixit: Paratus sum sequi. *Augustinus* de Ver. Dom. (serm. 7.) Vel aliter. *Filius hominis non habet ubi caput suum reclinet*, scilicet in fide tua. *Vulpes enim habent foveas*, in corde tuo, quia dolosus es; *volatilia cali habent nidos*, in corde tuo quia elatus es. Dolosus, & elatus non me sequeris: quomodo enim dolosus sequitur simplicitatem? *Gregorius* 19. Moral. (cap. 1.) Vel aliter. *Vulpes* valde fraudulenta sunt animalia, quæ in fossis, vel specubus absconduntur, cumque apparuerint, numquam rectis itineribus, sed tortuosis (2) anfractibus currunt; volucres vero alto volatu se sublevant, nomine ergo vulpium dolosa, atque fraudulenta; nomine autem volucrum (3) hæc eadem superba dæmonia designantur; ac si dicat: *Fraudulenta, & elata dæmonia in corde tuo inveniunt habitationem suam; humilitas autem mea requiem in superba mente non invenit.* *Augustinus* de Quæst. Evang. (in Matth. quæst. 5.) Intelligitur enim miraculis motus, propter inanem jaclantiam eum sequi voluisse,

quam significant aves; finxisse autem discipuli obsequium, quæ fictio vulpium nomine significata est. *Rabbanus* (super illud, *Vulpes foveam habent.*) Hæretici autem in sua versutia confidentes significantur per vulpes, & maligni spiritus per volucres cali, qui in corde Judaici populi foveas, & nidos, idest domicilia habebant. Sequitur: *Alius autem de discipulis illius ait illi: Domine permitte me ire primum, & sepelire patrem meum.* *Hieronymus.* Quid simile est inter scribam, & discipulum? Ille Magistrum vocat, hic Dominum confiteatur. *Hilarius* (can. 7. in Matth.) Ille pietatis occasione ad sepeliendum patrem ire desiderat, ille secuturus affectum sub diffidentia interrogationis expressit; quia fidei assumptione non interroganda est, sed sequenda. *Augustinus* de Ver. Dom. (serm. 7. super illud, *Ibo prius sepelire.*) Dominus autem quando parat homines Evangelio, nullam excusationem vult interponi carnalis hujus, temporalisque pietatis; & ideo sequitur, *Jesus autem dixit ei: Sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* *Chrysofomus* in homil. (28. in Matth. à med.) Hoc autem dixit non jubens contemnere amorem qui est ad parentes, sed monstrans quoniam nihil cælestibus negotiis nobis magis necessarium esse oportet; & quoniam cum toto studio his jungi debemus, & neque parum tardare, etiam si valde inevitabilia, & incitantia fuerint quæ attrahunt. Quid enim magis necessarium erat quam sepelire patrem? Quid etiam facilius? Neque enim tempus multum consumendum erat. Per hoc etiam eum Dominus à multis malis eripuit, puta luctibus, & mæroribus, & ab his quæ hic expectantur. Post sepulturam enim necesse jam erat & testamenta servari, & hæreditatis divisionem, & alia hujusmodi, & ita fluctuationes ex fluctuationibus ei succedentes, longe eum à veritatis abducere portu (5) potuerunt. Si autem adhuc tumultuarius, excogita quoniam multi infirmos non permittunt scire, nec ad momentum sequi; etiam si pater, aut mater, aut filius sit qui defunctus est; nec ex hoc incusantur crudelitatis; sed contrarium crudelitatis est. Et multo majus malum est abducere hominem à spiritualibus sermonibus, & maxime cum fuerint qui hoc compleant: erant enim qui completuri erant hujus funeris sepulturam: unde dicit: *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* *Augustinus* de Ver. Dom. (serm. 7. super illud,

(1) *Al.* hunc esse Christum. (2) *Al.* anfractibus. (3) *Al.* hæc autem. (4) *Al.* esse. (5) *Al.* deest potuerunt.

Sine mortuos.) Quasi dicat: Pater tuus mortuus est. (1) Sunt autem alii mortui, qui sepeliunt mortuos suos, quia infideles sunt. *Chrysostomus* in hom. (28. in Matth.) In quo monstrat quoniam hic mortuus non erat eius: etenim qui defunctus erat, sicut astito, de numero infidelium erat. Si autem admiraris juvenem, quoniam pro negotio ita necessario interrogavit Jesum, & non spontanea abiit; multo magis admirare quoniam & prohibitus permansit: quod non erat (2) ingratitude, cum non propter desidia fecerit, sed ut non intercederet negotium magis necessarium. *Hilarius* (can. 7. in Matth. parum ante finem.) Item quia accepimus in dominice orationis exordio ita primum precandum (supra 6.) *Pater noster, qui es in caelis*; & in discipulo, credentis populi persona est; admonetur quod pater sibi vivus in caelis est, deinde inter fidelem filium patremque infidelem jus patris nominis non relinquit. Admonuit etiam non admiseri memoris sanctorum mortuos infideles, & etiam eos esse mortuos qui extra Deum vivunt; & idcirco mortui sepeliuntur a mortuis: (3) quia per Dei fidem vivos vivo oportet adherere. (4) Si autem mortuum sepelit mortuus, non debemus curam habere mortuorum, sed viventium, ne dum solliciti sumus de mortuis, nos quoque mortui appellemur. *Gregorius* IV. Moral. (super illud Job 3. „Quare „lactatus uberibus? „ Mortui etiam mortuum sepeliunt, cum peccatores peccatoribus favent. Qui enim peccantem laudibus prosequuntur, extinctum sub verborum suorum aggere abscondunt. *Rabbanus*. Notandum est (4) etiam in hac sententia, quia aliquando minora bona praetermittenda sunt pro utilitate majorum. *Augustinus* de Conf. Evang. (Lib. 2. cap. 23. circ. med.) Quod autem *Matthaeus* dicit, tunc istud gestum esse quando iussit ut irent trans fretum, *Lucas* vero ambulantis illis in via, non est contrarium, quia viam utique ambulabant, ut venirent ad fretum.

(g) *Origenes* (hom. 6. in divers. loc.) Cum multa magna, & miranda ostendisset Christus in terra, transit ad mare, ut ibidem excellentia opera demonstraret, quatenus terrae, marisque Dominum se esse cunctis ostenderet: unde dicitur: *Et ascendente eo in naviculam, secuti sunt eum discipuli eius*: non imbecilles, sed firmi, & stabiles in fide. Hi ergo secuti sunt eum, non tantum gressus eius sequentes, sed magis sanctitatem (5) comitantes. *Chrysostomus* in hom. (29. in Matth.) Accepit autem discipulos secum, & in navi, ut ad utraque eos erigeret, & ad hoc quod in periculis non stuperent, & ad hoc quod in fluctibus moderata de se autarent. Ut enim non magna de se saperent, propter hoc quod aliis dimissis eos retineat, permittit eos fluctuari. Ubi enim miraculorum ostensio erat, plebem permittit adesse; ubi autem tentationum, & timorum arreptio, athletas orbis terrarum, quos exercitatus erat, hos solos assumit. *Origenes* (hom. 6. ex divers. locis.) Ingressus ergo naviculam fecit turbare mare: unde sequitur: *Et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus*. Haec tempestas non ex orta est, sed potestati paruit imperantis, qui educit ventos de thesauris suis. Facta est autem tempestas magna, ut magnum opus ostenderetur: quia quanto magis fluctus naviculae irruerant, tanto magis discipulos timor conturbabat, ut plus desiderarent se liberari per mirabilia Salvatoris. *Chrysostomus* in hom. (29.) Quia enim viderant, alios Christi beneficia accepisse; non autem similiter aliquis aestimant quae in alienis corporibus fiunt, & quae in seipso; oportuit per familiarem sensum eos potiri beneficiis Christi. Et ideo voluit hanc fieri tempestatem, ut per liberationem manifestiorem acciperent beneficii sensum. Erat autem haec turbatio typhus futurarum tentationum, de quibus *Paulus* dicit (2. Corinth. 1.) „Nolo vos ignorare, fratres, quoniam gravati sumus supra virtutem. „ Ut ergo daree tempus formidini, sequitur, *Ipsa vero dormiebat*. Si enim vigilante eo facta fuisset tempestas, vel non timuissent, vel non rogassent, vel neque posse ipsum tale aliquid facere crederent. *Origenes* (homil. 6. in divers. loc.) Est autem res mirabilis, & stupenda: is qui nunquam dormit, neque dormitat, dormire dicitur. Dormiebat quidem corpore, sed vigilabat deitate, demonstrans quia verum humanum portabat corpus, quod corruptibile induerat. Corpore itaque dormiebat, ut Apostolos faceret vigilare, & ne omnes nos unquam animo dormiamus. Tanto autem metu discipuli fuerant contenti, & pene animo alienati, ut irruerent in eum; & non modeste, ac leviter suggererent, sed turbulenter suscitarent eum: unde sequitur: *Et accesserunt ad eum discipuli eius, & suscitaverunt eum, dicentes: Domine salva nos, perimus*. *Hieronymus*: Hujus signi typhum in *Jona* legimus, quando ceteris periclitantibus ipse securus est, &

(1) *Al.* Sunt alii mortui. (2) *Al.* magnitudinis. (3) *Al.* qui. (4) *Al.* deest etiam. (5) *Al.* concomitantes.

EX EDIT. P. NICOL. (a) *Hieronymus*.

dormit, & (1) suscitatur. *Origenes* (hom. 6. in divers. loc.) O veraces discipuli, Salvatore vobiscum habetis, & periculum timetis? Vita vobiscum est, & de morte solliciti estis? Sed respondeant: Parvuli sumus, & adhuc infirmi, ideoque timemus: unde sequitur: *Et dicit eis Jesus: Quid timidi estis, modice fidei quasi diceret: Si potentem me super terram cognovistis, quare non creditis quia & in mari potens sum? Et si mors irrueret, nonne debuistis eam constantissime suscinere? Qui modicum credit, arguetur; qui nihil credit, contentetur*. *Chrysostomus* in hom. (29. in Matth.) Si autem aliquis dixerit, quoniam non fuit modice fidei, accedentes excitare Jesum; hoc signum fuit quod non decentem de ipso opinionem habebant. Noverant enim quod excitatus poterat mare increpare; nondum autem quod dormiens. Propter hoc etiam neque praesentibus turbis hoc signum fecit, ut non accensetur modice fidei; sed discipulos solum accipiens corrigit; & prius solvit turbationem aquarum: unde sequitur: *Tunc surgens imperavit ventis, & mari; & facta est tranquillitas magna*. *Hieronymus* (super illud, *Tunc imperavit ventis*) Ex hoc autem loco intelligimus quod omnes creaturae sentiant creatorem: quibus enim imperatur, sentiunt imperantem: non errore haereticorum, qui omnia putant animantia sensibilia esse, sed majestate conditoris, quae apud nos insensibilia sunt, illi sensibilia sunt. *Origenes*. Imperavit ergo ventis, & mari; & de magno vento facta est tranquillitas magna: decet enim magnum magna facere: & ideo qui prius magnifice conturbavit profundum maris, nunc iterum tranquillitatem magnam fieri iussit, ut discipuli nimium conturbati, magnifice latarentur. *Chrysostomus* in homil. (29. in Matth.) In hoc etiam ostenditur quia omnis confestim soluta est tempestas, & neque semita turbationis remansit: quod quidem extraneum erat: cum enim naturaliter fluctuatio terminatur, usque ad multum tempus aquae concutiuntur; sed hic simul omnia solvebantur: unde quod de Patre dictum est: (Psal. 106.) „Dixit, & fleuit spiritus procellae, „ hoc Christus opere implevit: solo enim verbo, & praeepto (2) mare sedavit, & refrainavit. A visu autem, & a somno, (3) & ex utendo navigio, qui aderant, eum hominem aestimabant: propter hoc in admirationem ceciderunt: unde sequitur: *Porro homines mirati sunt, dicentes: Qualis est hic, quia venti, & mare obedunt ei?* Glossa. *Chrysostomus* ponit *S. Thom. Oper. Tom. VIII.*

(1) *Al.* suscitavit. (2) *Al.* deest mare. (3) *P. Nicolajus*, habet & ex usu navigii. (4) *Al.* vigilante.

hanc litteram, *Qualis est hic homo?* somnus enim, & quod apparebat, hominem demonstrabat; sed mare, & tranquillitas Deum offendebar. *Origenes* (hom. 6. ex collectis in divers. loc.) Sed qui homines mirati sunt? Non putes hic Apostolos significatos: nusquam enim invenimus praeter honorem cognominari Domini discipulos; sed semper aut Apostoli, aut Discipuli nominantur. Mirabantur ergo hi homines qui cum eo navigabant, quorum erat navicula, *Hieronymus* (super illud, *Homines mirati sunt, dicentes*) Si autem quis contentiose voluerit eam qui mirabantur fuisse discipulos; respondemus, recte homines appellatos, quia necdum noverant potentiam Salvatoris. *Origenes* (homil. 6. inter evan. sunt ex divers. locis collectae.) Non autem interrogantes dicunt, *Qualis est iste?* sed afferentes, quia iste talis est, cui venti, & mare obediant. *Qualis ergo est iste*, id est, quantus, quam fortis, quam magnus. Jubeat omni creatura, & non supergreditur justificationem ejus: soli homines resistunt, & ideo in iudicio damnabuntur. Mystice autem omnes in sanctae Ecclesiae navicula cum Domino per hunc undosum supernatamus mundum. Ipse autem Dominus pio obdormit somno patientiam nostram, & impiorum penitentiam expectans. *Hilarius* (can. 7. in Matth.) Vel dormit, eo quod somno nostro consopiat, in nobis. Maxime autem id accidit ut a Deo auxilium in periculi metu speremus; atque utinam vel spes fera confidat se periculum posse evadere, Christi intra se (4) vigilantis virtute. *Origenes* (hom. 6. ex collectis.) Alacriter ergo accedamus ad eum, cum Propheta dicens (Psal. 43.) „Exurge, quare obdormis Domine? „ Et ipse imperabit ventis, id est demonibus, qui concitant fluctus, id est principes hujus mundi, ad persecutiones sanctis immittendas; facitque tranquillitatem magnam circa corpus, & spiritum, pacem Ecclesiae, & serenitatem mundo. *Rabbanus* (super illud, *Ascendente illo in naviculam*) Vel aliter. Mare est aestus saeculi; navicula quam Christus ascendit, intelligitur arbor crucis, cuius auxilio fideles, transactis mundi fluctibus, perveniunt ad caelestem patriam, quasi ad litus securam, in qua Christus una cum suis ascendit: unde post ait (infra 16.) *Qui vult vivere post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me*. Cum ergo *Catilius* in cruce positus fuisset, motus magnus factus est, quia commotae sunt naves discipulorum de ejus passione, & navicula aperta est fluctibus;

bus: quia tota vis perfectionis circa crucem Christi fuit, ubi feliciter morte occubuit: unde dictum est: *Ipsi vero dormiebat*. Suam dormire, mori est. Excitant autem discipuli Dominum, dum turbati morte, maximis votis resurrectionem quaerunt, dicentes: *Salva*, resurgendo, quia *perimus*, turbatione tuæ mortis. Ipse vero resurgens increpat duritiam cordis eorum, ut alibi legitur. *Imperavit autem ventis*, quia diaboli superbiam stravit; imperavit mari, quia vesaniam Judæorum disiecit; *et facta est tranquillitas magna*, quia sedatae sunt mentes discipulorum, visa resurrectione. *Glossa*. (2) Vel navicula est Ecclesia præsens, in qua Christus cum suis mare sæculi tranfit, aquas persecutorum compefcit. Unde miremur, & gratias agamus.

(n) *Chrysoftomus* in hom. (30. à med.) Quidam (1) homines Christum hominem esse dicebant, venerunt dæmones divinitatem ejus divulgantes, ut qui mare procellosum, & rursus quietum non audierant, dæmones audirent clamantes: unde dicitur: *Et cum venisset trans fretum in regionem Gerasenorum, occurrerunt ei duo homines habentes dæmonia*. Rabbanus. Gerasa urbs est Arabiae trans Jordanem, juncta monti Galaad, quam tenuit tribus Manasse, non longe à stagno Tiberiadis, in quo porci præcipitati sunt. *Augustinus* de Con. Evang. (Lib. 2. cap. 24.) Quod autem Matthæus duos dicit fuisse qui dæmonia patiebantur; Marcus autem, & Lucas autem commemorant, intelligas unum eorum fuisse personæ alicujus clarioris, & famosioris, quem regio illa maxime dolebat, & pro cuius salute plurimum satagebat, de quo facti hujus fama præclarius fragravat. *Chrysoftomus* in homil. (29. in Matth. ante med.) Vel Lucas, & Marcus unum eorum sæviorum elegerunt: unde & ejus calamitatem expriment. Lucas enim dicit; quia ruptis vineulis agebatur in deserto; Marcus autem, quia & lapidibus seipsum intericiebat; nec tamen dicunt, quoniam unus solus erat, ne Matthæo contraria dicere viderentur. Per hoc autem quod subditur, *De monumentis exeuntes*, perniciosum dogma imponere volebant, scilicet quod animæ motientium dæmones fiant: unde multi aruspicum occidunt pueros, ut animam eorum cooperantem habeant: propter quod & dæmoniaci clamant, quoniam anima illius ego sum. Non est autem

(1) Forte Quoniam homines. (2) Al. populus. (3) Al. Quia vero nullus asserre audebat ad Christum propter sævitiam hos dæmoniacos. (4) Al. igitur. (5) Al. voluntaria. (6) Al. primum.

Ex edit. P. Nicol. (2) Nihil in Glossa quæ nunc extat; sed insinuat Beda paulo plenius, & ex Beda Rabbanus in hunc locum.

anima defuncti quæ clamat; sed dæmon hoc fingit, ut decipiat audientes. Si enim in alterius corpus animam mortui possibile esset intrare, multo magis in corpus suum. Sed neque habet rationem, iniqua passam animam cooperari iniqua sibi facienti, vel hominem posse virtutem incorpoream in aliam transmutare substantiam, scilicet animam in substantiam dæmonis. Neque enim in corporibus hoc machinari quis potest, ut in hominis corpus transmutet asini corpus: neque enim rationale est animam à corpore separatam hic oberrante. Justorum enim anima in manu Dei sunt: Sap. 3. unde & quæ puerorum, neque enim malæ sunt. Sed & quæ peccatorum sunt, confestim hinc abducuntur: & hoc manifestum est ex Lazaro, & divite. (3) Quia vero nullus eos asserre audebat ad Christum propter sævitiam horum dæmoniacorum, Christus ad eos vadit. Quæ quidem eorum sævitia designatur, cum subditur: *Sævi nimis, ita ut nemo posset transire per viam illam*. Sed quia alios prohibebant pertransire, obstruentem (4) sibi viam invenerunt. Etenim flagellabantur invisibiliter, intolerabilia patientes ex Christi præsentia: unde sequitur: *Et ecce clamaverunt dicentes: Quid nobis, & tibi Jesu fili Dei?* Hieronymus (super illud, *Et tibi Jesu*.) Non est autem (5) voluntatis ista confessio, quam (6) præmium sequitur confidentiam, sed necessitatis extorsio, quæ cogit invitos. Velut si servi fugitivi post multum temporis dominum suum videant, nihil aliud nisi de verberibus deprecatur; sic & dæmones cernentes Dominum in terris repente versari, ad eos judicandos se venisse credebant. Ridiculum autem putant quidam dæmonia scire Filium Dei, & diabolum ignorare, eo quod minoris malitiæ sint isti, quam ille, ejus satellites sunt; cum omnis scientia discipulorum ad magistrum referenda sit. *Augustinus* 9. de Civitate Dei (cap. 21. parum à princ.) Tantum autem innovit eis Deus, quantum voluit; tantum autem voluit, quantum oportuit. Innovit ergo eis non per id quod vita æterna est, & lumen quod illuminat pios; sed per quædam temporalia suæ virtutis effecta, & occultissimæ præsentia signa, quæ angelicis spiritibus etiam malignis potius quam infirmitati hominum possunt esse perspicua. Hieronymus (ibidem.) Sed tamen tam dæmones, quam dia-

bolus suspicari magis Filium Dei, quam nosse intelligendi sunt. *Augustinus* (2) in Libro de Quæstionibus novi, & veteris testamenti, (quæst. 66.) Quod autem dæmones clamant: *Quid nobis, & tibi Jesu Fili Dei?* magis ex suspitione, quam ex cognitione dixisse credendi sunt. Si enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifigi permisissent: 1. Corinth. 10. *Remigius*. Sed quotiescumque ejus virtute torquebantur, & signa, & miracula facientem videbant, æstimabant (1) eum esse Filium Dei: postquam videbant eum esurire, sitire, & his similia pati, dubitabant, & credebant hominem purum. Considerandum est, quod etiam Judæi increduli dicentes Christum in Beelzebub eiecisse dæmonia, & Arriani dicentes eum esse creaturam, non solum iudicio Dei, sed etiam dæmonum confessione damnari merentur, qui Christum Filium Dei dicunt. Recte autem dicunt: *Quid nobis, & tibi Jesu Fili Dei?* hoc est, nihil commune est nostre malitiæ, & tuæ gratiæ, quia secundum Apostolum 2. Corinth. 6. nulla societas est lucis ad tenebras. *Chrysoftomus* in hom. (29. inter princ. & med.) Ut autem non videretur adulationis hoc esse, ab experientia clamabant: dicentes: *Venisti ante tempus torquere nos*. *Augustinus* 8. de Civit. Dei (cap. 23.) Sive quia subitum illis fuit quod futurum quidem, sed tardius opinabantur; sive quia perditionem suam hanc ipsam dicebant, quia fiebat ut eorum cognitio sperneretur; & hoc erat ante tempus iudicii, quo æterna damnatione puniendi sunt. Hieronymus. Præsentia etiam Salvatoris tormenta sunt dæmonum. *Chrysoftomus* in homil. (29. ante med.) Non autem poterant dicere se non peccasse, quia eos Christus invenerat mala operantes, & facturam Dei punientes: unde adimabant propter superabundantiam malorum quæ fecerant, quod non expectaretur in eis tempus extremæ punitionis, quæ erit in die iudicii. *Augustinus* de Con. Evang. (Lib. 2. cap. 24.) Quod autem verba dæmonum diversimode ab Evangelistis sunt dicta, non habent aliquid scrupuli, cum vel in unam redigi sententiam, vel omnia dicta posint intelligi: nec quia pluraliter apud Matthæum, apud alios autem singulariter loquitur, cum & ipsi narrent, quod interrogatus quid vocaretur, legionem se esse respondit, eo quod multa essent dæmonia.

Sequitur: *Erat autem non longe ab eis grex porcorum multorum pascens*. Dæmones autem ro-

(1) Al. desit eum. (2) Al. autem.

Ex edit. P. Nicol. (2) Lib. 2. quæst. 56. quamvis nec vere Augustini sunt, nec in illis expresse omnia hæc habentur; sed partim desumpta sunt ex Hieronymo, & ex Rabano post Hieronymum.

gabant eum, dicentes: *Si ejicis nos hinc, mitte nos in porcos*. *Gregorius* 2. Moral. (super illud Job. 1. Extende manum tuam: cap. 6. in novis exempl.) Scit enim diabolus, quia quolibet agere ex semetipso non sufficit, quia nec per semetipsum in eo quod est spiritus existit. *Remigius*. Sed ideo non petierunt ut in homines mitterentur, quia illum cuius virtute torquebantur, humanam speciem gestare videbant. Nec etiam petierunt ut in pecora mitterentur, quia pecora, Dei præcepto, munda sunt animalia, & tunc in templo Dei offerbantur. Præ aliis autem immundis in porcos mitti petierunt, quia nullum animal est immundius porco: unde & porcus dicitur quasi spurcus, eo quod in spurciis delectetur: sic & dæmones spurciis peccatorum delectantur. Non autem petierunt ut in aera mitterentur propter nimiam cupiditatem nocendi hominibus.

Sequitur: *Et ait illis, Ite*. *Chrysoftomus* in hom. (29. in Matth.) Non autem hoc fecit Jesus, quasi à dæmonis persuasus, sed multa hinc dispensans: unum quidem, ut instruat magnitudinem nocentium dæmonum, qui illis hominibus insidiabantur; aliud, ut discant omnes quoniam neque adversus porcos audent, nisi ipse concefferit; tertium, ut ostendat quod graviora in illos homines operati essent quam in porcos, nisi essent homines illi inter calamitates divina providentia adjuti: magis enim odio habent homines quam irrationalia. Per hoc autem manifestum est quoniam nullus est qui non porciatur divina providentia. Si autem non omnes similiter, neque secundum unum modum; & hæc etiam providentiæ maxima species est: ad id (2) enim quod unicuique expedit, providentia ostenditur. Cum prædictis autem & aliud ex hoc dicimus, quoniam non communiter omni provideat solum, sed singulariter unicuique: quod in dæmoniacis his aliquis aspiciet manifeste, qui olim suffocati essent, nisi divina procuracione potiti essent. Propterea etiam concessit abire in gregem porcorum, ut qui regiones habitabant illas, discant ejus virtutem. Ubi enim nullas eum cognoverat, fulgere faciebat miracula, ut eos in suæ divinitatis cognitionem trahat. Hieronymus (parum ant. fin. Com. in cap. 8.) Non ergo ut concederet Salvator dæmonibus quod petebant, dixit, *Ite*; sed ut, per interfectionem porcorum, hominibus salutis occasio præberetur. Sequitur. *At illi exeuntes*: scilicet ab hominibus,

bus, abierunt in porcos; & ecce magno impetu abiit totus grex praecipit in mare, & mortui sunt in aquis. Erubescat Manichaeus. Si de eadem substantia, & ex eadem origine hominum, bestiarumque sunt animae, quomodo ob unius hominis, vel duorum salutem, duo millia porcorum suffocantur? *Chrysostomus* in hom. (29. in Matth. à med.) Ideo autem porcos daemones occiderunt, quia ubique homines in mactantiam mittere student, & de perditione lætantur. Damni etiam magnitudo augebat ejus quod factum erat, famam: à multis enim divulgabatur, scilicet ab his qui curati erant, à porcorum dominis, & à pastoribus: unde sequitur: *Pastores autem fugerunt, & venientes in civitatem nuntiaverunt omnia, & de his qui daemonia habuerant: & ecce tota civitas exiit obviam Jesu.* Sed cum deceret eos adorare, & admirari virtutem, emittebant eum à se: unde sequitur: *Et viso eo rogabant eum ut transiret à finibus eorum.* Intuere autem & Christi mansuetudinem post virtutem: quia enim beneficia adepti abigebant eum, non restitit, sed recessit; & eos qui indignos se nuntiaverunt ejus doctrina, dereliquit, dans eis doctores liberatos à daemonibus, & porcorum pastores. *Hieronymus* (loco cit.) Vel quod rogant ut transiret fines eorum, non de superbia hoc faciunt, sed de humilitate, qua se indignos Domini praesentia judicabant; sicut & Petrus ait (Luci 5.) „Exi à me Domine, quia vir peccator sum.“ *Rabbanus*. Interpretatur (1) autem Gerasa colorem ejicientis, vel advena propinquans, hoc est Gentilitas, quae diabolum à se ejecit: & quae prius longe, modo facta est prope, post resurrectionem visitata à Christo per praedicatorum. *Ambrosius* super Lucam (cap. 8.) Duo quoque daemones figuram populi gentilis accipiunt: quoniam cum tres filios Noe generavit, Cham, Sem, & Japhet; Sem tantummodo familia in possessionem accita est Dei, ex duobus autem aliis nationum populi pullularunt. *Hilarius* (can. 8. parum ante med.) Unde extra urbem, idest extra legis, & Prophetarum synagogam, duos homines in monumentis daemones detinebant; duarum scilicet gentium origines, intra defunctorum sepulchra, quibus non Dei sermo, sed anima peccantis morte (2) recluditur? Dicit autem: *Ita ut nemo possit transire per viam illam:* quia ante adventum Salvatoris in via Gentilitas fuit. Vel perditos, Judaeos, & Gentes accipe, qui non habitabant in domo; idest, in conscientia sua non requiescebant. In monumentis manebant, idest in operibus mortuis delectabantur; nec sinunt per viam fidei, quam viam Judaei (3) impugnabant, aliquem transire. *Hilarius* (can. 8. circa med.) (4) Occursu autem eorum, concurrentium ad salutem voluntas indicatur. Videntes autem daemones non sibi jam locum in Gentibus derelinqui, ut patiantur habitare se in haereticis deprecantur; quibus occupati, in mare, idest in cupiditatem saecularem, daemonum praecipitantur instinctu, & cum reliquarum Gentium infidelitate moriuntur. (a) Vel porci sunt qui turulentis delectantur actibus: nam nisi quis porci more vixerit, non in eum diaboli accipiunt potestatem; aut ad probandum tantum; non ad perdendum (5) accipiunt. Quod autem in stagnum praecipitati sunt porci, significat quod, etiam liberato populo Gentium à damnatione daemonum, in abditis agunt sacrilegos ritus suos qui Christo credere noluerunt, (6) caeca, & profunda curiositate submersi. Quod autem pastores porcorum fugientes ista nuntiant, significat quosdam etiam primates impiorum, (7) qui quamquam christianam legem fugiant, potentiam tamen Christi stupendo praedicare non cessant. Quod autem magno timore percussus, rogant ut ab eis discedat, significat multitudinem vetusta sua vita delectatam, honorare quidem se nolle christianam legem, dum dicunt, quod eam implere non possunt. *Hilarius* (ut supra.) Vel urbs illa Judaici populi habuit speciem, quae Christi operibus auditis, Domino suo obviam pergit; prohibens ne fines suos urbemque contingeret; neque enim Evangelia (8) recepit.

(1) *Al. omittitur* autem. (2) *Al. excluditur*. (3) *Al. impugnant*. (4) *Al. Occursus*. (5) *Al. accipiunt*. (6) *Al. caecati*. (7) *Al. deest*. qui. (8) *Al. recipit*. *P. Nicolai* habet lex recepit.

Ex edit. P. Nicol. (a) *Beda* in Luc. cap. 8.

CA.

(a) **ET** ascendens Jesus in naviculam, transfretavit, & venit in civitatem suam. Et ecce offerebant ei paralyticum jacentem in lecto. Videns autem Jesus fidem illorum, dixit paralytico: Confide fili: remittuntur tibi peccata tua. Et ecce quidam de scribis dixerunt intra se, Hic blasphematur. Et cum vidisset Jesus cogitationes eorum, dixit: Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris? Quid est facilius, dicere, Dimittuntur tibi peccata tua, an dicere, Surge, & ambula? Ut autem sciatis quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata; tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Et surrexit, & abiit in domum suam. Videntes autem turbæ, timerunt, & glorificaverunt Deum: qui dedit potestatem talem hominibus.

(b) Et cum transiret inde Jesus, vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine, & ait illi, Sequere me. Et surgens secutus est eum. Et factum est, discumbente eo in domo, ecce multi Publicani, & peccatores venientes discumbebant cum Jesu, & discipulis ejus. Et videntes pharisæi, dicebant discipulis ejus: Quare cum publicanis, & peccatoribus manducatur magister vester? At Jesus audiens ait: Non est opus valentibus medico, sed male habentibus. Euntes autem discite quid est, Misericordiam volo, & non sacrificium. Non enim veni vocare justos, sed peccatores.

(c) Tunc accesserunt ad eum discipuli Joannis, dicentes: Quare nos, & pharisæi jejunamus frequenter; discipuli autem tui non jejunant? Et ait illis Jesus: Numquid possunt filii sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus? Venient autem dies cum auferetur ab eis sponsus, & tunc jejunabunt. Nemo autem immittit commissuram panni rudis in vestimentum vetus. Tollit enim plenitudinem ejus à vestimento, & pejor scissura fit. Neque mittunt vinum novum in utres veteres. Alioquin rumpuntur utres, & vinum effunditur, & utres pereunt. Sed vinum novum in utres novos mittunt, & ambo conservantur.

(d) Hac illo loquente ad eos, ecce princeps unus accessit, & adorabat eum, dicens: Domine, filia mea modo defuncta est; sed veni, impone manum tuam super eam, & vivet. Et surgens Jesus sequebatur eum, & discipuli ejus. Et ecce mulier quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti ejus. Dicebat enim intra se: Si tetigero tantum vestimentum ejus, salva ero. At Jesus conversus, & videns eam, dixit: Confide filia: fides tua te salvam fecit. Et salva facta est mulier ex illa hora.

(e) Et cum venisset Jesus in domum principis, & vidisset tibiens, & turbam tumultuantem, dicebat: Recedite, non est enim mortua puella, sed dormit. Et deridebant eum. Et cum ejecta esset turba, intravit, & tenuit manum ejus, & dixit, Puella, surge. Et surrexit puella: & exiit fama hæc in universam terram illam.

(f) Et transeunte inde Jesu, secuti sunt eum duo caeci clamantes, & dicentes: Misere nostri Fili David. Cum autem venisset domum, accesserunt ad eum caeci: & dixit eis Jesus: Creditis quia hoc possum facere vobis? Dicunt ei, Utiq; Domine. Tunc tetigit oculos eorum, dicens: Secundum fidem vestram fiat vobis. Et aperti sunt oculi eorum; & comminatus est illis Jesus dicens: Videte ne quis sciat. Illi autem exeuntes diffamaverunt eum in tota terra illa.

(g) Egressis autem illis, ecce obtulerunt ei hominem mutum daemoneium habentem: & ejecto daemone locutus est mutus: & miratae sunt turbæ dicentes: Numquam apparuit hic in Israel. Pharisæi autem dicebant: In principe daemoneiorum ejicit daemones.

(h) Et circumibat Jesus omnes civitates, & castella, docens in synagogis eorum, & praedicans Evangelium Regni, curans omnem languorem, & omnem infirmitatem. Videns autem turbas miserum est eis, quia erant vexati, & jacentes: sicut oves non habentes pastorem. Tunc dicit discipulis suis: Mesis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo dominum melsis ut mitrat operarios in messem suam.

(a) **CHRYSTOMUS** in hom. (30. in Matth.) Monstravit superius Christus suam virtutem per doctrinam, quando docuit eos ut potestatem habens; per leprosum quando dixit, *Volo, mundare*; per Centurionem, qui dixit: *Dic verbo, & sanabitur puer meus*; per mare, quod verbo refranavit, per daemones, qui eum constabantur: hic autem rursus alio majori modo inimicos ejus cogit conseruisti aequalitatem honoris ad Patrem: unde ad hoc ostendendum subditur: *Et ascendens Jesus in naviculam, transfretavit: & venit in civitatem suam.* Navigium autem intrans petranavit qui de mare poterat petranare: non enim semper

S. Thom. Oper. Tom. VIII.